



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De Transmissionibvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

sunt, ad ea, quæ legunt, memoriâ complectenda facilitatem, ac denique non exiguam Lectoribus omnibus utilitatem. Ac siquidē rectē, & ut cōuenit, hoc volumen concinnatum est, hoc diuino fauori atque auxilio ascribi debet. Si autem trasse, parūque felici successu, hoc imbecillitati meæ ~~tributum est.~~ Totum porro volumen Parallela nuncupatur. Illud autem scire operæ pretium est, è Philonis et Josephi lucubrationibus collectas esse sententias, ad gloriam scilicet Christianæ veritatis, utpotè etiam ab inimicis commendatæ.

DE TRANSMISSIONIBVS.

Sequuntur iam titulorum eorum transmissiones, qui ab eadem littera incipiunt, & alio loco siti sunt, ac reperiuntur. Dicam autem quid sit transmissio, & quam ob causam inuenta. Transmissio, est dictio nos eò ducens, vbi, quicquid querimus, inuenitur. Magnam autem ea utilitatem libro affert. Non modò enim hoc officit, ut breuiter aliquid comprehendamus: sed etiam verborum prolixitatem imputat, utpotè quæ per crebram earundem rerum repetitionem minimè nos sinat fastidium audientibus exhibere. Potissimum autem ob ἀπορίεσσα inuenta est, hoc est ea, quæ de vna eadēque re vario modo dicuntur. Multi enim in quolibet libro tituli sunt, quorum inscriptio quatuor nominibus, ac fortasse etiam pluribus constat. Verbi gratia, De superbis & fastuosis, & arrogantibus, atque inanis gloriæ cupidis. Hæc enim, licet à diuersis litteris incipiant, tamen subiecti ratione idem sunt. Vnde etiam factum est, ut verborum appositionem à Scriptura sacra & sanctis Patribus communiter acceperint. Ac rursus, De temerario, & impudenti, & excaescente, & iracundo. Nam hæc quoque omnia considerationis respectu idem sunt. Atque, ne easdem lectiones ijs tribuentes, quæ vocabulis duntaxat, ac non item rebus disuncta sunt, in prolixitatem incidamus, necessariò inuenta est transmissio. Cuius videlicet ope atque auxilio hoc comparatur, ut Capita ordine alphabetico edantur. Quocirca ijs, qui litterarum indicem legunt, faciendum est, ut transmissiones quoque ipsi subiectas legant.

Titulos transmittentes, de quibus hîc loquitur Damascenus, ob hanc causam omittendos duximus, quòd in versione Latina, quæ litterarum ordinem non sequitur, superuacanea eorum adiectio futura esset.